



I, 16.



I, 16.

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**GEORGIVS**  
**R V D O L P H V S**  
**BOEHMER**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTO  
ANATOMIAE ET BOTANIC PROF. PVBL.  
ORDINARIUS

I N S T I T U T U M  
**PAVLLI VALENTINI IRSCHHAVSEI**

GRIMMANI SS. TH. CVLTORIS  
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM  
ORATIONE ANNIVERSARIA  
MAIORI IN AUDITORIO

A. D. VI. KAL. APRIL. A. R. S. cIɔ Iɔ CCLXII.  
CELEBRATVRI

**C I V I B V S**

ET POSTERITATI COMMENDAT

---

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen IX.  
de originibus Saxoniciis. IV.*

---

V I T E B E R G A E  
PRELO EPHRAIM GOTTL OB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

**Q**uae de sedibus Saxonum primis, vbi Romanis innotuerant, et inde durante Saxoniae antiquae seu Olsartiae appellatione praemissimus, eo magis nos deletant, quoniam consensu summorum vi-  
torum, quos aliae quidem caussae, idoneae tamen  
et illae, mouerant, amplius confirmantur; vt IAC.  
VSSERII, (de primord. Eccl. Brit. p. 393.) GVIL.  
CAMDENI, (Britan. p. 68.,) ROB. SHERINGHAMI,  
(de orig. gent. Angl. c. II. per tot.,) NIC. HIE-  
RON. GVNDLINGII. (Gundlingian. P. VI. p. 87. sq.)  
Hos ergo qui legerint, in iis, quae noue attuli-  
mus, plura etiam ad sensus momenta habebunt.  
Origo vero nominis multorum ingeniiis materiam  
praebuit, vt tamen necdum inter eruditiores de  
illa conueniat. Varia etyma, quae proponi so-  
lent, grammatici potius acuminis, quam historicae  
grauitatis, sunt. Qui tanquam vero similiorem  
sententiam veterum scriptorum de genere quo-  
dam armorum, seu brevium gladiorum, gentis pro-  
prio, tuentur; vix satis attendisse videntur, occasio-  
nem commento, fabulam vulgi, quae a VITE-  
CHINDO primum refertur, dedisse, quasi Saxo-  
nes, quum veluti ad pacatum cum Thuringis con-  
gressum processissent, eiusmodi tela tunicis abdi-  
derint, quibus hos inermes, deceptosque nomine  
pacis, confecerint. Sed de tam suspecta narratio-  
ne vt alibi exponemus; ita miramur, qua ratione  
FERDINANDVS, Antistes Paderborn., eruditissi-  
mus

mus princeps, (Montum. Paderborn. p. 88.) ipsum  
GREGORIVM, Turon. antistitem, inter auctores  
huius opinionis numerandum duxerit, et vir do-  
ctissimus IO. NIC. HERTIVS (Notit. vet. Germ.  
Pop. P. III. c. III. §. III. p. 122.) idem per incuriam  
repetierit, et a multis tam iocularis error non ani-  
maduersus sit. Nil tale vñquam GREGORIVS pro-  
disit; sed, quod (I. IV. c. LII.) Sigebertum re-  
gem *validis cultris*, *quos vulgo scramasaxos vocant*,  
a duobus pueris intersectum scripserat, fuere, qui  
inde notationem illam huius nominis confirmari  
crederent, ideoque ad ipsum provocauerant. Sed  
enim illo ipso Gregorii testimonio refellitur haec  
argutatio, quia vocem eam non solos Saxones an-  
tiquitus in vsu habuisse, ostendit, Francis aequo  
vñstatam, vt etiam E R O R I C O N E , quem Hertius  
laudat, adparet, et de Danis atque Frisiis PONTA-  
NVS, loco ibidem indicato, probauit. Atqui et-  
iam Saxoniae nomen longe vetustius historiis, quas  
VITECHINDVS (I. I.) et GAVFRIDVS MONEMV-  
THENSIS (I. III. c. III. tanta similitudine narrant,  
vt fabellas anicularam ineptiis dignas agnoscamus.  
Neque, vt est credibile, ipsi Saxones a tali facto in-  
ditum illud tam constanter seruassent. Quinuper ab  
institutis piraticis id additum vocabulum, veluti a  
verbo *sacken*, somniauit; necdum, quantum con-  
stet, quibus id ferio persuaderet, reperit, et, vbi de  
re p. Saxonum agemus, plura monebimus. Ad  
naturam saxeam, ad Sacas, ad Saxonam fluuium, du-

dum obsurduerunt hominum elegantiorum aures.  
Quod nuper GRVPENIO, V. ampliss. et doctissimo,  
placuit, ut nominati fuerint, tanquam maris acco-  
lae, *seachs*, forte magis probare liceret, si reddi  
causae possent, cur prae aliis mari aequae vicinis,  
nec rei nauticae minus deditis, haec peculiaris ad-  
pellatio de iis tantum usurpata fuerit. Nos cer-  
te proprius fidem ducimus, Saxones, capto nouas  
sedes quaerendi consilio, suos, qui alio deduce-  
rentur, eo demum nomine impertiuisse. Vocabu-  
lum enim sermonis patrii, quod non sedere solum,  
sed occupare quoque in diuersis verbis, quae inde  
ducuntur, significat, aptissime id exprimere poterat,  
quod in his, qui stabili sede potiti erant, potis-  
simum spectabatur. Ita, qui a popularibus, quo-  
cunque antea nomine vocatis, digressi iam cer-  
ta possessione alias terras tenebant, videntur in-  
de discriminis caussa sic dicti esse. Nec obscura  
manent vestigia tam in ipsa antiquissima Germa-  
niae inferioris pronuntiatione, quam aliis etiam  
vocabulis. Dicimus *sazz*, quidquid in viuaria  
ad sufficiendam nouam sobolem mittitur. Di-  
cimus *befazzung* praesidia, quibus in vrbibus, mu-  
nimentis, et locis tutis, statio adsignata est. Ab  
eadem haec origine. Sed in compositis ipsa flexio  
superest, qualis in vetustissimo sermone fuit. *Land-  
sassen*, *scbriftsassen*, *amtlassen*, sunt vocabula con-  
ditionis, qua intra principum territoria confiden-  
di facultas tribuitur. Fluminis Illi, Elli, seu Alli  
secun-

secundum ripas qui colebant, postquam Francorum  
in ius ac ditionem Alamanni venerant, Alsatti, He-  
lisazzi, sed Theodisce, *Elsassen*, dicti sunt. Haec  
ante nos praeclare et eleganter exponit SCHOEPE-  
LINVS, (Alsat. illustr. T. I. p. 35. 622.) a quo plura  
lectores petent. Nondum constituimus, num huc  
etiam referre liceat pagum Saxoniae *Fribfazi*, qui  
in ANNAL. FVLD. ad A. C. 1000XXIII. legi-  
tur; dictum forte ab immunitate incolarum? Nec  
alii opinioni facilius ratio adsentiantur, si ingenium  
moresque gentis eo tempore, quo id nomen pri-  
mum auditum est, cogitaueris. Quoties enim Bri-  
tanniae, Scotiae, Belgicae, Galliae et alia litora  
non tentauerant classibus, donec in plerisque his  
pars sedem obtinuit? Exponemus haec alio tem-  
pore clarius. Et quam aliam potiorem caussam di-  
cemus, cur inuento semel nomine, circa eius ad-  
fectionem vltro ambitiosi, lubentissime vocaren-  
tur, adsumerentque potius eorum vocabulum si-  
mul, quibus cum coaluerant, quam suum abdica-  
rent, vt Saxones Baiocassini, Anglosaxones, Saxones  
Frisii, Saxones Caenomanenses? Habent haec ma-  
gnum pondus, ne temere, vel a re ludicra ipsos se-  
se adpellari voluisse statuas; vt homines nonnulli  
nimis ingeniosi faciunt, quibus mirum est, non-  
dum in mentem venisse Saxiscas, patellae genus,  
aut Sassaivolos, columbarum apud Italos formam,  
quibus suas scenas laute forsan instruxissent! At  
enim, haec etiam quod attingimus, venia nobis

apud plures opus fore, praeuidemus. Sed prae-  
terquam quod exemplis excellentissimorum homi-  
num, quorum opera omnis admiratur aetas, de-  
fenderemur, in iis quae sequentur, operam im-  
pendemus, ne quis haec ambitioni potius gram-  
maticorum, quam studio originum patriae, dari  
existimet. Praestant enim viam longe grauiori-  
bus, quae disceptari, praetermissis illis, non pos-  
sunt, nec aliunde interdum lucem accipiunt. Illae  
ipsae certe minutiæ nos saepius ad aliquid deduc-  
cunt antea incompertum, si cum iudicio et modo  
eas, tanquam tenuia veri vestigia, persequamur. Vn-  
de etiam illa nomina, quae initio Saxonibus variis  
ex cauſis, praeter proprium illud et perpetuum,  
data sunt, propediem expendemus. Dolendum  
vero est, perditos esse tot veterum scriptorum li-  
bros, et in his bonam voluminum Ammiani Mar-  
cellini partem; qui profecto omisisse Saxonum ori-  
gines, eo certe loco, quo Constantis victoriam  
Britannicam narrauerat, non videtur. Superant ta-  
men paſſim quaedam antiquitatis reliquiae in sequi-  
oris aevi monumentis, auctoribus, vnde decerptæ  
sunt, non laudatis; saepius etiam corruptionis in  
nominibus manifestæ. Maximam sane rerum Sa-  
xonicarum conuersionem accidisse eo tempore, quo  
Maximus arrepto imperio exercitus e Britanniâ de-  
duxit, vel AMBROSIUS (Epist. XVII.) fidem fa-  
cit, qui excursionibus Siciliam illos infestasse testa-  
tur. Sed historicorum ZOSIMI, OROSII, aliquorū-  
que,


que, tanta est negligentia, ut Saxonum tunc,  
quando mari potissimum eos inualuisse, secuta et  
iam Britanniae occupatio probat, nullam mentio-  
nem fecerint. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS  
(Chronogr. ad A. CCCLXXXIX.) et GAVFRE-  
DVS, antistes Asaphensis, (in fragmento ap. BA-  
RON. ad A. CCCLXXXIII. et VELSER. ad tab.  
Peutinger. p. Opp. 732.) ducem Pictorum Mel-  
sam, et Hunnorum Gaunum, vel Gnamum, pi-  
ratica incursione tum Britones vexasse memorant.  
At enim quis tunc Hunnos, necdum Pannonia po-  
titos, iam eo vsque progressos credet? Quis vel  
fando vñquam de peritia illorum rei nauticae ali-  
quid accepit? Scottis quidem et Pictis hoc tribuit  
ADO VIENNENSIS; (Chron. aetat. VI. p. 156. ed.  
Morell.) sed quod gentes illas transmarinas sae-  
uissimas ibidem memorat, quis non aliquid de Sa-  
xonibus, quorum dux Gaunus fuerit, apud anti-  
quos scriptores, vnde sua hi excerpserunt, exsti-  
tisse, suspicetur; qui praesertim veterem horum po-  
pulorum societatem in oppugnandis Britannis ex  
AMMIANO MARCELLINO (l. XXVI. c. IV.) di-  
dicerit? Si quibus mirum videatur, Saxonum no-  
men transire potuisse in Hunnos, dubium, an li-  
berabuntur scrupulo, si cogitauerint, scriptores hos  
rudes et inconditos forte Gaunum illum habuisse  
pro Gaina, et de illius commercio cum Hunnis  
aliquid obscurius recordatos fuisse, vt nomen  
quoddam inusitatius nostrae gentis de his inter-  
preta-

pretarentur? Fieri etiam potuisse dices, vt ex male scripto Cimbrorum vocabulo factum sit Humborum, et postremo Hunnorum. Haec ex iis, quae sequentur, veluti praecerpere placuit, fors an fiat, vt vtilitatem huiusmodi inuestigationum ostendant.

Quod pietati et liberalitati Weyrauchii debemus, praeclarum institutum oratione sollemni a. d. VI. Kal. April. in auditorio maiori celebrabit **PAVLLVS VALENTINVS IRSCHHAVERN**, Grimmanus, SS. Th. cultor, laude ingenii morumque commendatissimus. Aget vero de necessitate operis apud nos in cultu diuino ad pristinam integritatem reuocando consummati. Tanti autem beneficii, a deo immortali in nos collati, si gratam, **CIVES**, memoriam, vt par est, conseruamus, vt amur hac opportunitate, vt animos meditatione praeclara pascamus, et quanta frequentia, tantis studiis, conueniamus, et honestiorum artium religioso munere laetemur. P.P.

Vitebergae a. d. VIII. Kal. April. A.S.R.

clo clo CCLXII.



Th 2972

ULB Halle  
007 441 851


3





B.I.G.

Black



RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**GEORGIVS**  
**R V D O L P H V S**  
**BOEHMER**  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTO  
ANATOMIAE ET BOTANIC PROF. PVBL.  
ORDINARIUS  
INSTITVTVM  
**PAVLLI VALENTINI IRSCHHAVSEI**  
GRIMMANI SS. TH. CVLTORIS  
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM  
ORATIONE ANNIVERSARIA  
MAIORI IN AUDITORIO  
A. D. VI. KAL. APRIL. A. R. S. CIC 1567.  
CELEBRATVRI  
**C I V I B V S**  
ET POSTERITATI COMMENDAT

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen IX.  
de originibus Saxoniciis. IV.*

VITEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS